

ERICVS DVX POMERANIAE, ET REX DANIAE.



Ericus filius fuit Vuartislai ducis Pomeraniae.  
Els à teneris annis uirtuti operam dedit, & futu-  
re indolis plurima documenta exhibuit. Itaq; Mar-  
garetha regina Daniæ Vualdemari regis filia post  
mariti sui Aquini regis Noruegiæ obitum hūc Eri-  
cum adoptauit, atq; effecit ut is rex Daniæ, Suetiæ,  
& Nortuegiæ eligeret. Ea regna per 30 annos ma-  
gna prudentia administravit, atq; uarios motus &  
seditiones compescuit. Cum aut Heinricus Slesui-  
censis princeps ei repugnaret, coram Sigismundo  
Imperatore anno 1424 in Vngaria comparuit, atq;  
suam causam proponens in iudicio uictor euasit.  
Postea pietatis gratia Hierosolymā profectus est.

Accidit autem ut nobilis quidam in Cæsaris aula hunc Ericum ipso inscio in  
tabella depingeret, atq; eius uiuam imaginem amico trāsmarino mitteret, cū  
ea adhortatione: Hanc imaginem esse Erici trium regnum Monarchæ, qui  
breui religionis gratia Hierosolymam uenturus esset. Cum Venetias rex ue-  
niasset, suam familiam diuisit, atq; paucis comitatus, ne dignosceretur, in Sy-  
riam nauigauit.